


QVÆSTIO MEDICA

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Iovis 18. Martij.



M. DIONYSIO DODART, Doctore Medico, Præſide.

Sunt ne Carnes quovis alio cibo ſalubriores?

I.

CIBUS homini petitur aut ex his quæ terra ſuppeditat, aut ex animalibus. Utrinque, ſalubris. Horum fere nulli pepercit aut gula, aut neceſſitas, aut male ſana quidlibet experiendi libido. Petitæ ſunt vel è carduis deliciæ, atque ex ipſis cochleis, teredinibus, viperis. Norvegi ex cortice abietis; Orbis novi incolæ vel ex radice venenatâ panem extundunt, nec minus valent. Acceſſit & conſuetudo quâ nihil tam eſt fœdum & intolerabile, quin quâdam animi inductione fiat voluptarium. Ita nobis verminantes aut ſane inveterati caſei, iis ipſis movent ſalivam quos idem odor in aliis rebus graviter offendit; veteribus garum, liquamen putridorum piſcis inteſtinorum, atque etiam nunc Hiſpanis coriandri recens herba, cimicibus olentior, & allium placet. Indis, ipſo allio gravior aza fætida cibus deorum habetur; Sinenſibus & Americanis ſeptentrionalibus, frumenti farina putridiſſima quovis oleto olidior in deliciis eſt. Tartari ſeptentrionales oleum ex balænâ petitum, Æthiopes ſponte mortuarum vaccarum inteſtina cruda nec purgata liguriunt; quin & ipſa vaccarum ſtercora magnatibus pro embammate. Denique ipſa rerum humanarum viciſſitudo quædam addidit, plura antiquavit: ut cum multa in deliciis fuiſſent, etiam in faſtidium venerint. Ita aſelli, hinnuli, vulpes, qui ab Hippocrate ad Galeni tempora etiam à lautis admiſſi ſunt, catelli convaleſcentium ſolatia, glires lautiſſimorum Romanorum deliciæ: nunc miſerrimæ tantum famis ſubſidia. Piſces olim apud Romanos, Græcoſque jucundiſſimus & quotidianus & ſalubris cibus divitum & urbanorum, hoc eſt otioſorum: nunc à lautioribus menſis plerumque, maxime quadrageſimalibus feriis, exulant ad cœnobia pauperumque caſas. Apud

Romanos, Græcoſque veteres quotidie ſemel tantum edere, idque veſperi, promiſcuum; certe qui prandebant, pauxillum aliquid guſtabant; aliis abunde fuit toto die jejunos cœnare, nec ad ſaturitatem: nobis vix ſufficit quotidie bis impleri & à paulo plus trecentis annis, pro jejunio arcto habetur quæ fuit olim Græcorum, Romanorumque ingenuorum vita communis. Quin & tota vivendi ratio iiſdem in regionibus ævorum lapſu in contrarium mutata eſt. Syri Cypriique cujuſlibet carnis abſtinentiſſimi ad Pygmalionis ætatem; inde ultra Menandri comici tempora ſaltem piſcibus in totum abſtinuerunt; abſtinebant & Græci heroicis temporibus, tunc carnis edaciſſimi: nunc Syri, Græci, uno verbo Orientales permulti vice verſa carnes prope faſtidiunt, indulgent piſcibus. Germanis & Gallis olim vita abſtemia, & vinum eo nomine inviſum quod corporis vires frangeret: nunc vino, vel vinoſis liquoribus carere non poſſunt. Contra in oppoſitis regionibus eadem vivendi ratio. Groënlandi pariter & Æthiopes carnibus crudis veſcuntur. Ut olim Ægyptij panibus in annum coctis, Ichthyophagi piſcibus ad ſolem ſiccatis vivebant, ita nunc Lapones, Norvegi &c. Quin & cum aliud atque aliud diverſis in locis natura flagitet, contraria his ipſis invaluere; itaut frigido cœlo plus bibatur ubi minus ſititur; torrido, calida calentiaque expetantur. Ita bibaciſſimi hominum Sarmatæ, Æthiopes piperis ad luxum voraces, Sinenſes fervidum potant. Adeo quiſque ſuo more ſanus vivit. Cave tamen omnia perinde habeas. Quibuſdam legibus conſtat ciborum delectus; ut non tantùm alius alio præſtantior ſit, quadrupes quadrupede, piſcis piſce, avis ave: ſed & genus generi præſtet; non tantum habitâ ratione ad ſingulos, ſed ad regiones, tempora, ſtatus, inſtituta. Ita nationibus ad utrumque mundi cardinem ſitis, quibus nulli ſunt fructus, nullæ fruges, animalium carnes magis conveniunt; minus, his gentibus quæ Zonam torridam colunt, quibus commodiora quæ è terrâ prodeunt; Zonarum temperatarum incolæ utroque genere commode utuntur. Ita quadrupedes, aves, hyeme magis quam æſtate conveniunt; ver piſces commodiſſime tolerat; ægris pleriſque infirmiſſima materia; convaleſcentibus, ſedentariiſque media; ruſticis & omnibus qui vehementiſſime exercentur firmiſſima in uno quoque genere materia expetenda. Cuivis nationi, tempori, naturæ, ſtatui, inſtituto, cibi genus quòd terra fundit unum abſque aliis omnibus aliunde petitis aut cibis aut condimentis abunde ſufficit.

II.

ELIGENDI cibi lex ſumma, non ratio quædam artificioſa ex philoſophorum opinionibus longe petita. Quippe nec corporum alendorũ nec alimentorum intimam ſtructuram aut fermentorum conditiones aut norunt aut noſſe poſſunt. Lex prima, inſtinctus quidam, etiam in homine cæcus, qui in rerum Conditore, ſumma ratio, & perpetua. Quamquam bruta nonnunquam aberrant; tanto ſæpius homo, quanto plus inſtitutione, arte, animi inductione, perturbationibuſque & imaginibus, quam naturâ regitur; quo fit ut ſæpe jucundius eligat, non melius; quod jucundum qui-

dem esurienti sit necesse est, sed non ita ut vel plenum incitet. Igitur usus accedat necesse est, lex summa, quæ instinctum regat, emendet & redigat ad naturam. Quicquid aut opinio præjudicata garriat, aut suadeat voluptas, nihil ratum habeas nisi quod experimenta docuerint; inter quæ maxima fides habenda his quæ plurima & vetustissima & frequentissima sunt & latissime patent; ut tanto certior & magis cognita sit cæteris Medicinæ partibus ea quæ victus ratione constat, maxime quæ regit secundam valetudinem, quanto communior morbo secunda valetudo, alimenta remediis frequentiora, natura medicinâ antiquior. Has leges aliquantum in Homine perturbat consuetudo, quâ fit non tantum ut etiam ingrata naturæ tantò difficilius omittantur; sed etiam ut per se jucunda, fastidiantur; pessima minus noceant; optima insolita minus prosint, obsint aliquando. Sed dum in melius ea sensim mutatur, vix unquam non succedit mutatio. Vis scire quid cuique brutorum maxime conveniat, animadverte quid lubentissimè vescatur. Nonnunquam fallit hoc indicium. Equi, nulla fraude adhibitâ, tritico, quod avidissime vorant, rumpuntur. Sed per raro fallit. Sua Homini natura longe ignotior; adeò ut instinctum suum, sua bona non nisi ratione jam non dignoscat; non eâ quæ petitur, ex rerum principiis sed eâ quæ sensus communis dicitur.

III.

QUEMADMODUM unicuique animalium generi suum penu proprium est unde vivat: ita propria officina alimenti proprij conficiendi, viscerum, imprimis ventriculi, propria structura, & certa alimenti dividendi instrumenta, omnibus oris partes, nonnullis etiam ungues. Itaque ex earum partium figurâ quid genus maxime conveniat certo cognoscitur. Quæ tam manifesto occulti Numinis est composita consilio ut, si cætera sileant, Deum hæc fateantur, & quasi digito demonstrent. Ita si avis, aut piscis, aut quadrupes animal, etiam mortuum & ignotum, vis scire quo cibi genere commodissime victurum fuerit, quo similia sint alenda: partes eas considera quæ ad alimenta dividenda, conficienda pertinent. Rostrum igitur & ungues avium aspice. Quæ partes, si acutæ, aduncæ, durissimæ fuerint, scito præda victum quæsiisse & ventriculum membranaceum habere; si acutæ, duræ nec aduncæ, ad carpenda morticina comparatas; si minus firmo & recto acumine sed ita ut rostri latera tenuissimâ acie sint, seminibus, frugibusque enucleandis. Si quadrupes aut piscis, dentes considera. Acuti & vicissim spatia alterna subeuntes, ad lanienam factum demonstrant; plani, quales bovi, scaro, rebus è terra natis vivere solitum; cui nulli sunt incisorij pabulatione vixisse manifestum; inferiori tantum maxillâ dentatum, ad ruminandum factum fuisse & multiplicis ventriculi, qui ejusdem pabuli indicium; cui incisorij sunt dentes ut sciuro, herinaceo, lepori, id aut fructibus victitavit aut virgultis. Non quod non & aliis nonnulla etiam salubriter uti possint alimentis; nam & canes ad lanienam & carnificinam nati, pane utcunque victitant; & mures atque sorices deficiente prædâ quam vel ex propriâ fætura capiunt, quolibet obvio latrantem stoma-

chum implent, ſed quod ea ſint magis conducibilia, ad quæ conficienda oris & ventriculi ſtructura videtur comparata. Idem eſto de homine judicium. Qui, quamvis omni ciborum genere vivat & valeat, tamen eâ eſt oris ſtructurâ quæ cum fructibus findendis, molendis, in aliis animalibus ſit addicta, oſtendit fructus humanum eſſe cibum, eumque naturalem, quippe arte nullâ, nullo labore paratum, nullis egentem condimentis. At fruges, arte quæſitum alimentum, licet eventu percommodum, tamen non uſque adeo naturale eſſe, ſuadet eadem ſtructura, impar conficiendis commodè frugibus, quæ molendæ, purgandæ, pinſendæ, fermentandæ, coquendæ, magnâ & longâ arte & multis ab Orbe condito ſeculis inventâ. Utrumque genus tam uſu comprobatum, ut à primis rerum initiis ad hæc uſque tempora Orbe toto claruerit; tam gratum, illud præſertim quod pertinet ad panificia, ut cum vix alius ſit cibus quem diu ventriculus exoptet, ille rarò faſtidiatur, atque in aliorum continuâ viciſſitudine ſemper retineatur, ita tamen ut eo vix quiſquam ſe ingurgitet.

IV.

FRUCTUUM alij ſucco liquido prægnant, ut vuæ noſtræ, ceraſa; alij pulpâ humidâ conſtant, ut poma; alij quaſi farinâ quadam compacta ſunt, ut nuces omnis generis, caſtaneæ; cui generi accedunt frumenta & legumina. Quidni & fructibus addas olera quæ & ipſa alimenta ſunt & alimentorum condimenta. Horum omnium neque ſingula omnibus, neque omnia ulli conveniunt. Sed vix ulla eſt natura quæ, delectu quodam habito, in his omnia non reperiat, non tantum ad vitam neceſſaria, ſed etiam ad ſanitatem roburque & molem corporis; atque adeò ad voluptatem, etiam Epicuream, cujus finis, valere nec dolere. Itaque ſolus hic cibus homines pavit à primis rerum initiis ad diluviũ; hoc Perſarum gens bellicoſiſſima & robuſtiſſima perdiu vixit, pane ſolo contenta cum naſturtio & ſale & aquâ, tum, cum univerſam Aſiam domuit; hoc ſolo ab annis plus bis mille utitur media pars Indorum, Brachmanum Baneanumque numeroſiſſimæ familiæ, quibuſlibet ærumnis laboribuſque pares. Hic cibus fere ſolus, certe præcipuus, ſtrenuiſſimas Romanorum, Carthaginenſium gentes in caſtris, pane extemporario & ſubcinericio, immenſis exercitiorum, operum laboribus ſuperiores reddidit, aquâ ſolâ vel poſcâ potos; ita non injucundus, ut & ipſis Imperatoribus non paucis ſatisfecerit. Hoc ad olympiadem ſexageſimam ſibi pondus nervoſque fecerunt athletæ graves. Hoc contentus Epicurus ſolâ mazâ & aquâ ſe beatum prædicabat. Temperatis, intemperatis naturis æque convenit. Optimi fructuum dulces. Cæteri, non tantum alimenta, ſed condimenta, medicamenta; in quibus vinum, perpaucis vel ad ſanitatem neceſſarium, vel ad robur, utile, niſi aſſuetis; nocivum vel eo ipſo quod, etiam ſobrios, ſibi faciat obnoxios. Dulces fructus, ac ſummorum ſaporum expertes, omnibus naturis utiles, præſertim autem optime comparatis. At intemperatis cujuſvis modi ſint, ſua cuique in fructibus frugibuſque oppoſita & utilis materia. Humidi ſicciotibus naturis, ut bilioſis, melancholicis opportuni, his denique quos du-

rior aluus male habet; modo qui ſucco diffluunt ad effervefcendum prompto, copioſo aquæ potu diluantur. Sicci humidiores naturas recreant, & quos exercet citatior alvus. Qui ſunt ſucci tenuis & condimentis acrioribus aut amariuſculis attenuati, conveniunt ſomnolentis & ſanguine craſſiori gravatis. Craſſi, lenti, mobiliores naturas, & perpetuo quodam ſanguinis æſtu percitas ſedant. Quin & obeſiorum corporum extenuandorum & tenuium ſaginandorum ars, tantopere, tantoque ſucceſſu veteribus exculta, idoneam in his materiam reperit, quâ fructibus humidioribus eſurientem ventriculum fallentibus reliquo corpori alimentum exiguum & diſſipabile ſubminiſtrantibus; quâ coliphiis & ptiſſanis frumentaceis, pulte, Romanis olim Pœniſque admodum familiari, caticis, caſeo molli, exiguâ mole multum alimenti fundentibus, quod facile non evaneſcat. Inde pugiles ante Pythagoram gymnaſtem, qui primus carnes addidit, ſe ingurgitando non tantum ſuſpectam molem, ſed & robur in immenſum augebant. Sed cum nullus cibus ſit qui, dum nimius ſumitur, minus noceat, robuſtis, qui duriter exercentur, nullus modicus, magis ſufficit in longiſſimas inædias, quales etiam nunc Orientales quadrageſimalibus feriis tolerant, ſicco frigidoque victu, olei vinique experte. Vis faciles concoctu cibos & ventriculo etiam debili leves? Non tantum panis ſpumeus & recens ſubminiſtrabit; ſed & ptiſſanæ ex hordeo, orizâ, avenâ, paratæ. Eſuris? Nihil eſt quod alia deſideres. Tædium te tenet? Ecce tibi immenſam varietatem ferculorum; pomorum, pyrorum, prunorum, perſicorum, longe plura nobis cognita genera quam veteribus. Ipſa tempeſtatum varietas tædium antevertit, jucundiſſimis optimiſque fructibus. Ver fraga ſuppeditat, tum mora rubi idæi, odore ſolo pretioſa, mala armeniaca, quæ fructuum conditorum coryphæi; Æſtas pyra rufilla, perſica, nuſquam, ne apud Perſas quidem venena, ubique mira jucunditate ſaluberrima; Autumnus pyra butyroſa, viridiaoblonga, falerna ſeu bergamotiana, &, quæ in multam durant Hyemem, virguleſiana, bruta-bona, ambaretta; & quæ circulum anni conficiunt, pompeiana, poma reginetta. Jam ſi faſtidium urget, quod ſæpe carnes edentibus obrepit, & ſaturis, ſecundarum menſarum uſu, alioqui præpoſtero, corrigitur, nihil eſt quod alia deſideres. Ex ipſo eo genere condimenta ſuppetunt; innocentes cupediæ, ſine quibus, ne ipſæ quidem carnes ſapiunt. Ubique obviæ, cum naſturtium & acidulæ herbæ fere nuſquam non proveniant, ſed in Zona torrida optimæ; inter quas ſaccharum ipſo melle jucundius, nec minus ſalubre, veteribus cognitum. Otioſis ſua eſt in pane ex loto vel dilutiori polline parato, & diligenter ſive per molam aceſcentem, ſive per zythi ſpumam fermentato, tenuis & parabilis annona. Philoſophis & naturæ, mathematum, rerum æternarum meditationi addictis pura inde diæta neque caput petere, neque alvum diſtendere obnoxia, Ægyptiorum Sacerdotes, Magorumque apud Perſas tertiam partem aluit, & litteratiſſimam Phœnicum nationem univerſam, artium, ſcientiarumque parentes, Pythagoræ magiſtros, à quo Græca omnis Philoſophia orta eſt. Itaque idem cibus Pythagoricæ, nationi verius quam ſectæ per

multa sæcula suffecit & innumeris Essenorum, Therapeutarum, Anachoretarum, Cænobitarumque Ægyptiorum, Asianorum myriadibus, parum & semel in die sub vespetum sumere solitis, & vitam exercitam, sed vegetam & hilarem in longum ævum producentibus. Rusticis nostris & triremium remigibus panis cibarius cum paucis leguminibus sufficit in quoslibet labores. Placet peregrinatio, vel sedentaria vita? Ubique fere invenitur tantum fructuum frugumque unde facile toleretur. Denique cum nihil æque servare possit sanum ac animi tranquillitas, nihil æque labefaciat ac anxietas, quæ plerisque plurima in quærendis cibis succrescit: quid pane fructibusque vilius? Ut vere una hæc sit ars innocentissima, Homines mediocri in re, sine labore locupletandi, & simplex victus non corporis tantum, sed etiam animi vera sit Medicina.

V.

ERGO cibus ex animalibus petitus non utique exoptandus, si lac, oua, butyrum, mel excipias; animalium fructus & quasi spontaneum vectigal. Lac, Anglorum, Germanorumque & Sarmatarum, animosissimarum nationum, perpetuus quondam cibus, abstemiis optimum alimentum; in puris visceribus, purgationem non exigit; cum fructibus siccis eximie concordat, nec repugnat humidis si acidos excipias; nec calculo facit obnoxios; & prope solum apud veteres novosque morborum articularium remedium. Oua sorbilia, non biliosa ut finxit posterior ætas; febrientium ferculum non reiiciendum si potu includatur; veteribus, infrequentius. Butyrum, mel condimenta; plerumque innoxia. Quæ trucidatis animalibus extorquentur, nec ita utilia, & suspecta. Sanguis, adeps, stomacho gravis. Carnes commodiores, non ita tamen ut cum fructibus frugibusque ex æquo conferri queant, quarum accessiones & condimenta; in tantum supervacua ut carnes solas vesci homines vix ferant, & qui fruges non habent, ut qui sub polo sunt, piscibus siccis pro pane cum venatione utantur, Antillarum autem incolæ panem in veneno quærere ausi fuerint potius, quam solo venatu piscatuve vivere. Pisces, an aves, an quadrupedes, parum aut nihil refert. Avibus respondent pisces saxatiles & pelagij, & fluviatiles carne friabili teneráque, majoribus autem quadrupedibus sive feris sive domesticis respondent cetacei minores. Imo quibusdam naturis pisces magis conveniunt, ut iis quas atra bilis male habet, & quibus aluus biliosa aut corruptior, corpus plenius & grave, quo in numero divites & urbani plerique sunt. Aliis perpaucis nocent, maxime si condimentorum delectus habeatur; & febrientibus commodiores sunt, adeo ut in acutis morbis, ut pleuritide concessi, & in longis, ut cancro, morbis comitialibus, sputo sanguinis, tabe, & convalescentibus præscripti sint à Veteribus. Quos ad exquisitam veri normam exigere, adeoque, verecunde & caute emendare quidem aliquando licet, sed in eo præstaret imitari, ut in multis quæ posteriorum negligentiâ obsoleverunt, quam illos vetustatis contemptu invidiose suggillare, vel odio novitatis, tanta religione colere, ut aut quæ ignoraverint, hoc ipso, futilia; aut vera omnia quæ docuerint, eodem

jure exiſtimentur. Quadrupedum autem volatiliumque carnes minus aptæ ſunt calidioribus naturis, & febrientibus, hoc eſt maximæ parti ſanorum, ægrorum. Quamobrem antiquatus ptiſſanarum & piſcium uſus, cauſariis, ægris, & cōvaleſcentibus iis qui ſorbitionibus ali ſolent, revocandus videtur, aut potius aliquanto melior & incorruptior ptiſſana ex oryzâ, ſaccharo modico & aliquot piperis albi granis integris condita, nunc Perſis & Indis febrientibus tam ſalutaris quam familiaris; vel ſaltem, Luſitanorum Italorumq; ritu, in belle coctis, ſed dilutiſſimis juſculis ex pullo gallinaceo paratis, intritâ micâ panis; quæ omnia multò præſtant ſorbitionibus, quadrupedum aviumq; ſucco prægnantibus & plane liquidis; cum etiam ſanis molliuſcule valetudinem ſuam curantibus concoctu difficiliores ſint, febrientibus autem ventris illuviem augeant, iis præſertim quibus fœtidior & fuſior eſt alvus. Nec quis credat carne carnem alendam, cum tauros herba recens, ſicca, opimos robuſtiſſimoſque faciat, & equos, animal ad onera præliaque natum, paleis habitiſſimos fieri conſtet. Neque conſuetudine, etiam à parentibus ductâ, naturam ita fieri putes, ut qui avis carnivoris ortus fuerit, huic neceſſitas incumbat aliqua eiſdem cibis ſerviendi: cum nec propriâ quidem conſuetudine quis ita mancipetur, quin ſæpe etiam delicatiſſimæ morboſæque naturæ, ſimul ac in cœnobia migraverint & abſtinentiæ ſe ſe tradiderint, quaſi miraculo confirmatæ viſæ fuerint; & homines opulentiſſimi arthritici, nec quadrageſimales epulas quotidianis conviviis ferentes & piſcibus exprobrantes cupediarum vitia, fortunis exuti, ſicco victu convaluerint; & qui marcebat doloribus, inſomniis, imbecillitate ſtomachi, aut lacte & pane, aut ipſâmet xerophagiâ, non liberatus tantum, ſed ſaginatus etiam, non unus viſus ſit. Adeo & lubentibus, fere omnia ſana; & dura neceſſitas naturæ nonnunquam propitia; & quæ putantur etiam ſanos affligere, ea vel cauſarios, imo ægros ipſos ſæpe recreant.

Non ergò Carnes quolibet alio cibo ſalubriores.

Aſſerebat JACOBUS DES PREZ, Pariſinus.
A. R. S. H. MDCLXXVII.

PARISIIS,
Apud Franciſcum Muguet, Regis & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis Typographum.